

in parva Syersleve habuit, ab omni advocatia seu alio quolibet iure seculari liberis, uno eorum XXV iugera habente, alio vero XXI et tres quadrantes, et unam aream, alios duos mansos cum totidem iugeribus et area in Hergimestorp simili omnino libertate expeditos ecclesie memorate tradidimus perpetuo possidendos. Sane sciendum, quod mansi, quos ab ecclesia iam dicta nostra recepit ecclesia, ante hanc commutationem fuerant censuales et iure censuali Erlewinus de Vmmendorp et Burchardus de Syersleve ab eadem ecclesia tenuerunt, duodecim solidos annis singulis de utroque persolventes, quos videlicet mansos nostra ecclesia a prenominitis duobus Erlewino scilicet et Burchardo precio quatuordecim marcárum redemit et sic iuri suo, quod in eisdem mansis habuerant, cum heredibus suis renunciantes dominis suis liberis (!) resignaverunt, qui postmodum, ut dictum est, eosdem mansos cum domini abbatis Bertrammi, qui ipsos ecclesie sue comparavit, et totius capituli sui consensu in liberam proprietatem ecclesie nostre sine impedimento possidendos tradiderunt. Ne autem huius rei tam rationabilis ordinatio de conniventia utriusque partis approbata temeraria presumptione a quoquam in posterum valeat immutari, presentem paginam in memorate transactionis evidens testimonium editam testibus subnotatis sigilli nostri appensione roboramus. Testes vero sunt hii: Iohannes prior, Iohannes subprior, Arnoldus cellerarius, Fridericus hospitalarius, Iohannes custos, Fridericus camerarius, Luidegerus magister operis, Hermannus portarius et totus ecclesie nostre conventus.

Acta sunt hec anno gratie MCCXXXIX, indictione duodecima.

*Abschrift im Staatsarchiv zu Magdeburg Cop. 31 fol. 49a und im Privilegienbuche S. 203—205 mit der Ueberschrift: Hermenstorp et Siersleve bona permuatata. D. XIX.*

1239.

101.

*Bertram, Abt zu Berge, beurkundet, dass er zwei freie Hufen und eine Hofstelle zu Hermsdorf gegen zwei gleich grosse Hufen nebst Hofstelle zu Klein-Siegerleben vom Kloster Marienthal eingetauscht habe.*

Omnibus in Christo fidelibus hanc paginam inspecturis Bertrammus miseratione divina abbas montis beati Iohannis baptiste in Magdeburch in Christo salutem. Quoniam temporum volubilitas et vite presentis brevitatis necnon humane memorie tenuitas rerum quarumlibet contractum quantumlibet racionabiliter ordinatum propter oblivionis defectum solet infirmare si non scripti iuvamine fulciatur, ideo facti nostri memoriam scriptorum testimonio posteris duximus relinquendam. Noverint igitur tam presentes quam posteris, quod nos conventus nostri mediante consensu commutationem quandam cum ecclesia Vallis sancte Marie fecimus, talem videlicet, quod pro duobus mansis, quos eadem ecclesia in Hergerimmestorp habuit, ab omni advocacia seu alio quolibet iure seculari liberis, uno eorum viginti et quinque iugera habente, alio vero viginti